in prælio, donarentur torque, armillâ, purâ hastâ,
phalerâ, corniculâ, quid hîc aliud Gregorius
tanta dona appetentibus autumaret nisi: delectat
mentem præmia gaudiorum sed non deterreat
certamen laborum? in hunc modum prisca sonat
parœmia: Dij laboribus omnia vendunt; audebitis
etiam cogitare Auditores quid in Dominicâ orati-
one petatis, an non sic orare edocti estis: panem
nostrum quotidianum da nobis hodie? sed audi
qui ergo ita petis, audi vocem petitioni tuæ re-
spondentem: In sudore vultûs tui vesceris pane
tuo: potero ne hîc præterire silentio quod ali-
quando brutum animal panem suum suo labore adi-
pisci debuerit? num succurrit vobis Auditores
historia illa memoratu dignissima de Divi Galli
gesto? vetus est quod dicam et omnibus probe cog-
nitum. Nemus erat et densa tenebrarum caligine
horridum et infestis brutorum animantium generi-
bus obnoxium, hîc Gallus commoratus noctis ap-